salutant te inprimis Sidneus. Nevelly et frater meus, et quicunque ab hominibus tui amantissimis, sed ab hoc quodammodo orbe sejunctis proficisci possunt, ea omnia tibi cupidissimè deferunt. Quanquam nos ne nescii sitis, vobis omnibus, qui isthic estis, subirati simus, quod Deum nostrum abreptum nobis illis Bohemiæ montibus inclusum tenetis, unde vix tenuis ejus fama ad nos allabitur. Magnificum atque Illustrem Dudithium meque inprimis magnopere beabis, si verbo uno significaris, quid eo homine factum sit. Vale vir optime et praestantissime si ego te colere atque amare nunquam desinam, et me amare perge. Breslæ 17. January 1589.

Ad Summum Pontificem pro seminario Fuldensi.

121

Beatissime P. Cum ea Ecclesiæ ac Reipubl. seminaria, quæ ad benè ac piè educandam erudiendamque juventutem instituta sunt, magnum hoc tempore cum ad instruendam, tum ad propagandam Religionem monumentum habeant, in Germania sanè ex iis fructum redundare maximum reipsa conperitur, et exemplo inprimis constat seminarii illius, quod Fuldæ superioribus annis circa Provincias Saxonicas ope Sanctæ sedis Apostolicæ ac liberalitate Gregorii Papæ XIII. S. V. Praedecessoris inchoatum fuit, quod tantam secum utilitatem apportat, ut non modò illarum partium utilitatem ad bonarum literarum ac pietatis studium, à quibus alienatior erat, invitaverit, verum etiam populi voluntates plurimum flexerit, propiusque ad Ecclesiæ Catholicæ obedientiam reduxerit, adeò quidem, ut parentes ipsi, quantumvis heretici libenter ac certatim eò filios mittant, sicque ad utrumque et Ecclesiasticum et Politicum ordinem novum decus et

ornamentum accedant. qui enim inde prodeunt alumni, moribus ita prolucent ac zelo, ut spem de se egregiam praebeant imposterum, si quando ad dignitates Ecclesiae majores, in quibus praecipuè ratio nobilitatis habetur, illos velati contigerit, quod ab adversariis facilè perspicitur, qui ut tantum bonum impediant, institutionibus niti contrariis perversè coeperunt. Uti igitur lætissima illa reviviscentis, ubi religionis Principia felicem ac solidum successum habeant, et adversariorum conatus frustra sint indicti seminarii perpetuatione situm est, ad eam autem etsi S:tem V:ram per se, quae singularis et paterna ipsius erga restituendam ubique religionem sollicitudo et cura est, satis fore propensam speremus, tamen pro debito nostro in eandem religionem studio ipsam obnixè rogamus, ut ita supradicto seminario Fuldensi benigna perpetuatione prospicere dignetur, ne si fortè deficiente sustentatione solita id deseri contingeret, adversariis ludibrii ansam, Catholicis verò moerorem ac detrimentum adferat. Erit id non tantum praepotenti Deo gratum, verum etiam Sanctitati vestrae apud nationem Germanicam gloriosum. Nos etiam rogationi nostrae datum grato animo agnoscemus, qui pro filialis observantiae nostrae propensione ac studio S:tem V:ram quam diutissimè Ecclesiae praeesse incolumem optamus. Datum in arce nostra Regia Pragae 5. Martii 1589.

122. Ad Cardinalem Madrutium de seminario Fuldensi perpetuando.

Rudolphus etc. De Seminario Fuldensi, quod à Gregorio XIII. Pontifice Maximo piè liberaliterque his

annis